NOVA ADDITIO

DECRETORVM, SIVE ORDINVM NVPER CONQVISITORVM

CVM PRIVILEGIO EX.MI
SENATVS IMPRESSA.



MEDIOLANI
Apud Antonium Antonianum. M. D. LXXV.

PHILIPPVS DEI *Gratia Hispaniarum, Vtriusque Sicilia, &c. Rex, & Mediolani Dux &c. Hieronymus Meda typographus supplicationẽ nobis porrexit exempli sequentis. uidelicet, Ser. Rex, Anno 1567. M.V. ad preces fid. M.V. Ser. Hieronymi Meda siue Metũ huius Ciuitatis impressoris, qui decreuerat imprimere omnes, & quoscunque ordines, & omnia Senatus consulta, & decreta per M.V. ac per eius inuictisimum genitorem Carolum Imperatorem edita, & promulgata à tempore editionis nouarum Constitutionum citra, per suas patentes litteras sanxit, & iussit, quòd nullus Typographus, bibliopola, librarius, aut alius quiuis dictas constitutiones narratis decretis, interpretationibus, & ordinibus auctas inde ad annos quinque proximè futuros à die earum impressionis inuito supplicante in prouincia Mediolanensi imprimere, aut imprimi facere, aut alibi impressas in eam importare, aut uendere possit sub pœna scutorum tercentum auri, & amissionis librorum omnium pro tertia parte supplicanti, pro alia tertia parte accusatori, & alia tertia parte Fisco M.V. applicandorum, & prout latiùs continetur in ipso diplomate dato Mediolani die xii. Iunii dicti anni 1567. quod ibidem exhibetur. Quibus literis obtentis, eùm supplicans cœpisset operam dare circa dictam impressionem; uidetur quòd quidam Franciscus Sesalus impressor Nouariensis inde ad menses sex recursum habuerit ad M.V. & exposito quod esset impressurus antiqua consilia Martini Gareti Laudensis denuo reperta, & anteà non impressa, cum nouis additionibus; M.V. ei concessit facultatem dictos libros cum dictis additionibus imprimendi, cum cõminatione, ne quis per decennium imprimere, & impressos uenales exponere posset: in quibus precibus dictus Sesalus nullam fecit mentionem prædictæ facultatis concessæ præfato supplicanti. Verùm dictus Sesalus abutens dicto eius priuilegio ausus fuit imprimi facere dictas constitutiones in forma parua, additis aliquibus Senatus M.V. ordinibus: deinde uidetur obtinuisse ab Illustriss. & Excell. hic Locuntenente Regio, ne quis sub pœna in eam formam per quadriennium eas constitutiones in dicta prouincia Mediolanensi imprimere, nec aliter impressas uendere posset. De anno 1572. M.V. ad preces supplicantis alias litteras dedit prohibentes, ne quis typographus, bibliopolaue, aut quis alius, memoratas constitutiones, nouatis decretis, interpretationibus, & ordinibus auctas, in posterum, donec per supplicantem imprimerentur, & eis impressis per tempus præfixum in eius priuilegio, supplicante inuito, imprimere auderet, aut imprimi facere, nec in folio integro, nec in paruo, nec aliter in prouincia Mediolanensi, aut alibi impressas in eam importare, aut uendere, sub pœna in eo priuilegio contenta, modò supplicans se accingeret ad expeditionem negotii impressionis intra annum, & prout ex eis litteris datis die 27. Octobris 1572. quæ pariter exhibentur; qui terminus posteà anno proximè præterito die xxii. Octobris per alias litteras M.V. prorogatus fuit per aliud semestre. in quorum priuilegiorum executione supplicans maxima cum eius impensa dictas constitutiones dictis decretis auctas impres-*

ſit, & in lucem edidit, cæpitq́; etiam uenundare, & nunc etiam ſuperſunt uolumina quatuor mille, & ultra. Cùm autem ad aures ſupplicantis perueniſſet, dictum Seſalum ſub prætextu dicti priuilegii per eum obtenti dictas conſtitutiones cum dictis ordinibus per ſupplicantem impreſſas imprimi feciſſe in parua forma, & quotidie uenundare in hac prouincia Mediolanenſi contra formam priuilegiorum ſupplicanti conceſſorum; & hoc ſtante ipſum ſupplicantem non poſſe eius opera uendere ea ratione quia dictus Seſalus ſuas impreſſas in parua forma ſatis uiliori pretio uendebat; ei intimari fecit dicta priuilegia ſupplicanti conceſſa tum dicto anno 1567. tum dicto anno 1572. ad hoc ut de eis notitiam haberet, et ceſſaret à uenundatione dictarum conſtitutionum ab eo impreſſarum; quibus intimatis, Seſalus ipſe recurſum habuit ad M.V. multa mendacia aſſerendo, & inter alia, quòd fuit primus, qui horum ordinum collectaneum adinuenerit, quiq́; primus ordines Segouienſes, Vormatienſesq́; à paucis cognitos, indultum Leonis Pontificis in puluere marceſcentem à tenebris excitauit; quiq́; eas conſtitutiones tot ordinibus, aliiſq́; auctas, quæ prius à ſolo Mediolanenſi opulento librario non niſi maximo pretio uendebantur, tam exiguo uenales exhibuit pretio, ut pauperrimus quiſque facilè eas comparare poſſet; petiitq́; à M.V. decerni, dictas conſtitutiones à ſe impreſſas, & imprimendas uendere poſſe, & ſupplicantem M.V. litteris contrauenientem caſtigare; quas preces M.V. iuſſit ſupplicanti intimari, qui ſemel reſponderet. Videtur autem quòd M.V. ſuper ipſis precibus, & reſponſo ſupplicantis ordinauerit quod Seſalus uti poſſit liberè priuilegio ſibi de anno 1567. conceſſo uſque ad memoratum decennium pro imprimendis, & uendendis tam conſiliis Martini Laudenſis, quàm etiam aliis operibus hactenus ab eo impreſſis, & etiam conſtitutionum, & additionum in eam formam, quæ quarti dicitur, impreſſarum, & imprimendarum, & quòd ſupplicans poſſit etiam ipſe uti priuilegio ſibi conceſſo per M.V. reſpectu impreſſionis dictarum conſtitutionum, & additionum in folio impreſſorum, & imprimendorum. & quia, prout M.V. intellexit, ſupplicans maximo cum eius diſpendio dictas Conſtitutiones in forma regali impreſſit ſub fide dictorum priuilegiorum per M.V. ei conceſſorum, & quod alius impreſſor non impreſſiſſet, minusq́; uenundaſſet, eiq́; ſuperſunt uolumina quatuor mille, quæ uenundari non poterunt, cùm nemini dubium ſit, quòd indigentes ipſis conſtitutionibus potiùs ement paruas impreſſas per Seſalum, quàm illas impreſſas per ſupplicantem in forma magna, cùm paruæ ſatis minori pretio uendantur, quàm magnæ, & ſic illæ, quæ ſuperſunt ſupplicanti, nunquam uenundari poterunt, quod damnum ultra ſummam ſcutorum mille ſupplicanti allaturum eſt; & quia ſi inſpiciatur priuilegium per M.V. cõceſſum dicto Seſalo, clarè comperietur non comprehendere dictas conſtitutiones, ſed tantummodò opera Martini cum additionibus, licet ſub illis uerbis Seſalus uoluerit abuti ipſo priuilegio; & cùm ſupplicans certò ſciat mentem M.V. non eſſe tam graue damnum ſupplicanti afferre, quod eſſet eius ultimum excidium, quia etiam hac de cauſa ære alieno grauatus remanet; ea propter decreuit ad M.V. confugere,

Supplicando humillimè, ut attento quòd supplicans maximo cum eius sumptu, & dispendio, fretus dicto priuilegio, dictas constitutiones impressit; & quòd dictus Sesalus illas, quas impressit in parua forma, impressit super originalimet compilato per supplicantem maxima cum eius expensa; dignetur per suas litteras sancire, quòd omnino priuilegium ei concessum in dicto anno 1572. seruetur, nec Sesalus ipse, nec alius impressor, contra illius formam, possit dictas constitutiones, & decreta in forma nec magna, nec parua imprimere, nec uendere sub pœna in ipso priuilegio apposita. aut saltem dignetur decernere, quòd nequis alius impressor à modo in antea possit ipsas constitutiones, nec alia decreta per supplicantem nuper augenda imprimere, nec impressa uendere, præter supplicantem, attento quòd supplicans maxima cum impensa coadunauit multa alia decreta edenda, quæ adhuc impressa non fuere; & hoc modo supplicanti resarcietur pars damni per eum passi ob licentiam concessam dicto Sesalo contra formam eius priuilegii; & ita speratur &c. QVA considerata, supplicantem ope nostra iuuandum censentes, alteram ex illius petitionibus concedere uoluimus. Itaque harum serie decernimus, & edicimus; ut postquàm supplicans nouis Constitutionibus nouam decretorum, siue ordinum additionem, ultra additionem hactenus impressam, de nouo addiderit, atq; impresserit; tunc nemo alius, nisi ipse, possit hinc ad annos sex à die datarum præsentium incohoandos imprimere, uel imprimi facere, siue in folio integro, siue in forma (ut dicitur) quarti, siue in quauis alia maiore, uel minore forma, uendereue, aut uendi facere, aut uenales tenere dictas Constitutiones cum dicta noua additione posthac edenda; nec ipsam nouam additionem sine Constitutionibus, solam, uel cum alia re coniunctam, sub quouis prætextu, uel colore: sub pœna amissionis omnium eiusmodi librorum, & aureorum centum, quoties contrà factum fuerit. Cuius pœnæ tertia pars accusatori, tertia supplicanti, reliqua Fisco nostro applicetur. Mandantes omnibus, & singulis officialibus, & Iusdicentibus nostris, ad quos spectat, aut spectabit, ut has nostras litteras inuiolatè obseruent, & obseruari faciant; procedantq; contra inobseruatores, & ad comminatam poenam persoluendam omnibus iuris remediis eos compellant. In quorum fidem præsentes nostro sigillo munitas fieri iussimus. Dat. Mediolani die 28. Iunii. M. D. LXXIIII. Signat. Annib. Cruceius, et sigillata sigillo magno Regio, & Duc. in cera Rubea more solito. à tergo registratæ in filo Paten.

PHILIPPVS Dei Gratia Hispaniarum, Vtriusq; Siciliæ, &c. Rex, & Mediolani Dux, &c. Valerius Meda impressor Mediolanensis supplicationem nobis porrexit exempli sequentis. uidelicet, Ser. Rex. Anno proxime preterito ad preces quon. Hieronymi Medæ olim Typographi huius ciuitatis M.V. ei concessit priuilegium huius tenoris: quod postquam ipse Hieronymus nouis constitutionibus, nouam decretorum, siue ordinum additionem, ultra additionem hactenus impressam, de nouo addiderit atque impresserit, tunc nemo alius, nisi ipse, posset inde ad annos sex a die datarum earum litterarum incohoandos imprimere, uel imprimi facere siue in folio integro, siue in forma, ut dicitur, quarti, siue in quauis alia maiore,

uel minore forma, uendereue, aut uendi facere, aut uenales tenere dictas constitutiones cum dicta noua additione posthac edenda, nec ipsam nouam additionem siue constitutionibus solam, uel cum alia re coniunctam, sub quouis prætextu, uel colore, sub pœna amissionis omnium huiusmodi librorum, & aureorum centum, quoties contra factum fuerit, applicanda pro tertia parte accusatori, tertia ipsi Hieronymo, & reliqua Fisco M. V. & prout latius continetur ipso diplomate expedito die 28. Iunii proxime præteriti, quod exhibetur. Sed dictus Hieronymus nondum cœpto opere in fata concessit. Credebat autem fid. M. V. Ser Valerius Meda dicti Hieronymi frater, & qui in communione, & ad unum panem, & uinum uiuebant, & communiter Typographum exercebant & in una mei domo, quod ipso in diplomate pariter nominatus esset, quia quicquid agebat ipse Hieronymus, suo, & nomine supplicantis, & communibus impensis agebat. Supplicans autem post mortem fratris uolens uti priuilegio, maxima cum impensa ad inuenit & collegit plerasq; additiones, nec aliud remanet, nisi ut imprimantur, & edantur: sed certior redditus priuilegium ipsum in personam dicti Hieronymi conceptum fuisse, dubitans ne forte aliquo tempore obiiciatur priuilegium ipsum supplicantem non comprendere, cessauit ab impressione ipsarum additionum, & opus imperfectum remansit, nec illud perficere intendit, nisi accedente declaratione M. V. licet in iure tam ciuili, quā municipali clarum sit, quod stante communione ipsorum fratrum, quæ erat tempore concessi priuilegii, & semper stetit a morte eorum genitoris citra, supplicans ipso priuilegio impune potiri possit: propterea supplicans ad tollendum omnes hæsitationes, & dubia, & ut alacriori animo ad ipsum opus se accingere & illud perficere ualeat, decreuit ad M. V. confugere, Supplicando humillime, ut illa dignetur attentis prædictis declarare supplicantem priuilegio ipso potiri posse his modo, & forma, prout concessum fuit dicto Hieronymo. Vel, quoniam supplicans est, qui dictū opus coepit, & perficere cogitat, dignetur simile priuilegiū supplicāti de nouo cōcedere, quod speratur. QVA considerata, cum supplicans sit frater memorati Hieronymi, cui recitatum priuilegium, dum uiueret, fuerat concessum: & una cū fratre recitato operi incumberet, & in communione (ut exponitur,) uiueret: æquum censuimus petitioni supplicantis annuere, ut opus coeptum perficiatur. Itaque tenore præsentium idem priuilegium supplicanti denuo concedimus: edicimusq;, ut postquā supplicans nouis constitutionibus nouam decretorum siue ordinum additionem, ultra additionem hactenus impressam, de nouo addiderit, atq; impresserit: tunc nemo alius, nisi ipse, possit hinc ad annos sex a die datarum præsentium inchoandos imprimere, uel imprimi facere; siue in folio integro siue in forma, ut dicitur, quarti, siue in quauis alia maiore, uel minore forma, uendereue, aut uendi facere, aut uenales tenere dictas constitutiones cum dicta noua additione posthac edenda, nec ipsam nouam additionem siue constitutionibus solam, uel cum alia re coniunctam, sub quouis prætextu, uel colore: sub poena amissionis omnium huiusmodi librorum & aureorum centum, quoties contra factum fuerit, applicanda pro tertia parte accusatori, tertia supplicanti, reliqua Fisco nostro. Mandantes omnibus, & singulis iusdicentibus, et officialibus nostris, ad quos spectat, & spectabit, ut has nostras litteras inuiolate obseruent, & obseruari faciant: procedantq; contra inobseruatores, & ad comminatam poenam persoluendam omnibus iuris remediis eos compellant. In quorum fidem præsentes nostro sigillo munitas fieri iussimus. Dat. Mediolani die primo Februarii. M. D. LXXV.
Signat. Annib. Cruceius. & sigillata sigillo magno Regio, & Duc. in cera Rubea more solito. a tergo registrate in filo Paten.

INDEX
NOVAE ADDITIONIS.

Decretum

ORDO QVOD PRAESTANTES AVXILIVM ad homicid a in contumacia condemnentur in eandem pœnam, in quã condemnantur ipsi homicidæ.

FORMATA Inquisitione contra homicidas, & alios de auxilio, & assistentia cum armis ad homicidium in rixa commissum; dubitatum fuit per dominum Vicarium Iustitiæ, an præstantes auxilium in eandem pœnam condemnati debeant in contumaciam, in quam condemnati fuerunt homicidæ, & præsertim cùm ex nouis Constitutionibus caueatur ꝙ præstans auxiliũ ad prædicta arbitrio iusdicentis puniri possit. & propterea consultus Senatus per ipsum D. Vicarium, Respondit, in contumaciam condemnati debere præstantes auxilium in eandem penam, in quã actuales homicidæ condemnantur.

Subscript. B. Pattelanus.

ORDO SVPER CELERI EXpeditione causarum criminalium, & uisitatione carceratorum.

M D XLIIII. die ultimo Iulii.

CVM Innotuisset amplissimo Senatui, causas multorum, qui in carcerem coniiciuntur, diutius quãm patit differri, ac retardari, non sine grauissi-

mis ipsorum impensis, & diuturna carceratione, placuit huic morbo remedium salutare adhibere. facta igitur matura deliberatione,

Senatus ipse censuit, omnes Iudices, apud quos causæ criminales tractabuntur, si aliqui in eorum potestate nexi custodientur, teneri ipsas causas quanta fieri poterit diligentia expedire; & lapsis uiginti diebus, si intra id tempus finitæ non fuerint, die statim sequenti qua Senatus sedebit, earum causarum statum ipsi Senatui referre, & rationes adducere, quare ad eam diem expeditæ non sint: deinde qualibet hebdomoda ipsi Senatui significare, quid in iis causis iam relatis actum posteà fuerit, donec causæ ipsæ perfectè fuerint expeditæ: sub pœna scutorum centum quoties præmissa non obseruauerint, & alia grauiori arbitrio Senatus. Insuper decreuit, & uoluit, ex Mag. Senatoribus illos, quibus cura rerum criminalium in Senatu referendarum quolibet mense demandatur, accedere saltem bis in suo mense ad carceres, in quibus nexi detinentur, causasq; eorum detentionis intelligere, & comperta Senatui referre: ut tam longis carcerationibus, & causarum procrastinationibus, quoad fieri poterit, omnino obuiam eatur.

Subscript. Fran. Petranigra.

ORDO QVOD NOTARII sua manu nomen Iudicis non subscribant.

M D X L V I I. Die xiii. Februarii.

RElatum fuit in Senatu, qualiter in Prætorio Mediolani, Notarii subscribunt præcepta, quæ in causis

causis mittuntur, effincto, & imposito nomine illius Iudicis, coram quo iudicium pendet: abusus enormis, & detestandus: quem Senatus eradicare uolens,

Decernit, quòd posthac aliquis Notarius sub pœna falsi non audeat alicui præcepto, citationi, aut cuiuis actui transmittendo nomen, aut signum Iudicis sua manu subscribere.

Subscript. Iacobus Cattaneus. & sigillat. &c.

ORDO QVOD NOTARII SCRIBANT processus ad formam constitutionum in libris, & non in foliis.

Carolus Quintus Romanorũ Imperator. &c.

DIlect. Noster, Cùm ex ordinibus antiquis prouisum sit, ut acta & processus rerum Criminalium in libris, ut dicitur, sfoliatis describantur, & idem Illust. q. Dux Franciscus secundus iusserit, Hocq; identidem per constitutiones nostras cauerimus; mirum est quòd adhuc in hoc peccetur in non leue Fisci nostri, & subditorum nostrorum damnum. ut igitur ordo pernecessarius omnino seruetur, sub pœna iisdem constitutionibus comminata, & alia grauiori arbitrio Senatus nostri infligenda, Mandamus, ut omni exceptione, & excusatione remota, prouideatur quòd processus & actus omnes rerum criminalium in libris sfoliatis, non in papyro separata, aut in foliis & filciis, ut dicitur, describantur, & asseruentur. Dat. Mediolani die 7. Maii. M. D. XLIX.

Subscripta Iac. Cataneus. & sigillat. &c. a tergo, egregio Iureconsl. Prætori Mediolani nostro dilecto.

ORDO QVOD NOTARII scribant processus in libris iuxta dispositionem nouarum constitutionum.

Carolus Quintus Ro. Imper.

Dilecte noster, superflua fortasis uidebuntur quæ istis nostris nunc mandamus, cùm & constitutiones, & ordines iam dudum promulgati ea contineant, & hæc eadem omnia omnibus officialibus singulatim inthimata fuerint. Verùm cùm constet in causis Criminalibus, quæ in Senatu fere quotidie referuntur, quàm plures ex ipsis non in libris sfoliatis, ut iussum est, sed in foliis simplicibus, & separatis scriptas esse, & ordines præfigentes tẽpus in expediendis procesibus, uel saltem de admonendo Senatum de causis quibus intra ipsum terminum, & tempus non potuerunt expediri, non seruari; ideo necessarium admodum uisum est, istas uobis dare, ac serio mandare, ut moneatis notarios rerum Criminalium, ut constitutionum dispositionem circa præmissa ad ungem seruent; uos autem ordines expediendorum processuum, aut admonendi Senatum utsuprà, adimplebitis. quòd si notarios, aut uos inobedientes aut contumaces esse cognouerimus, pœnis per constitutiones & ordines comminatis indistinctẽ affici mandabimus. de istarum autem receptione nos monebitis. Dat. Mediolani decimo quarto Nouembris. 1550.

Subscrip. Iacobus Cattaneus, & sigill &c. a tergo egr. I. C. Vicario Iustitiæ nostro dilecto.

Ordo per-

ORDO PERTINENS AD condemnationes in fauorem feudatariorum.

Carolus quintus Ro. Imperator.

DIlecte noster, cùm tua iurisdictio se non extendat ad habitantes in terris infeudatis, nisi ubi constet comprehendi in decreto maioris Magistratus; considerata relatione tua facta ad supplicationem sp. Sen. nostri dilectiss. Co. Io. Firmi Triuultii, tibi mandamus, ut post hac non apponas manum ad eos, qui ipsi feudatario, seu eius iurisdictioni subsunt, nisi in casibus comprehensis in dicto decreto; & cōdēnationes, si quæ de aliquo ipsorum aliter per te factæ sint, non exigas, immo exactas restituas supplicanti, uel eius prætori. Dat. Mediolani die xix. Maii. 1551.

Subscript. Iac. Cattaneus, à tergo nob. Viro Capitaneo Martesanæ, seu eius Vicario nostro dilecto. & sigillat.

DECLARATIO IN CONTROuersia, quæ erat de confiscatione bonorum Petri Martyris Montii.

M. D. LII. die Iouis xi. Augusti.

PEtrus Martyr de monte cū aliās, & ab anno 1527 usque ad annum 1530. fuisset scriba, & rationator in negotio salis, quo tota Mediolanensis prouincia utitur, sub Mag. D. Dominico Saulo salis administratore. & in reddenda huiusmodi administrationis ratione interuenisset anno 1535. deque administratis per Saulum relationes fecisset. Demū anno

1536.

1536. Iussu Mag. Syndicatorum, qui rationes redituum Dominii Mediolanen. inquirebant, captus fuit sub eo praetextu, q; libros suos uitiasset, & falsas relationes in Fisci Caes. praeiudicium fecisset. & quãuis examinatus, ac quaestionibus suppositus delictum esset confessus, dum tamen terminus ad se defenden. sibi statutus penderet, in carcere decessit. Vnde cũm mors damnationem praeoccupasset, orta est de illius bonorũ confiscatione controuersia. Propterea q; proximiores Petri martyris nullum ius Fisco Caes. cõpetere asseuerabant; Contrarium uerò Fisci procuratores demonstrare nitebantur. Hinc cum Mag. Syndicatores omnem quaestionem ad Illust. Caes. Locuntenentem retulissent, & illi à Fiscali opinione discrepare uiderentur; Placuit Excell. Principi omnem controuersiam ad Senatum remittere, qui difficultates utrinq; motas intelligeret, & solueret; mox ad Ex. suam omnia cũ sententia sua referret. Senatus itaq; summa diligentia, summaq; consultatione casum propositũ considerauit. Fundamenta, quae hinc & inde adducebantur, perpendit. demum omnia ad praefatum Illust. Locũtenentem copiosè cum sua sententia perscripsit. Quibus ille uisis, & examinatis, demandauit eidẽ Senatui, ut in hac causa statueret, prout sibi uisum fuerit conuenire. Ideo omnibus iterum propositis, & diligenter consideratis, uisaq; citatione, & relatione perhemptoria, ac aliis uidendis;

Senatus censuit, nullum ius Caes. Fisco ratione memoratae confiscationis in bonis dicti Petrimartyris Montii competere: Sed ad proximiores ipsius spectare, & pertinere: eaq; illis liberè relaxanda esse.

Ordo q;

ORDO QVOD QVI NON habet in ære, luat in corpus.

M D LIII. Die xxix. Octobris.

COntingit sæpe numero sumi informationes de alicuius miserabilitate existentis in carcere, ob aliquam mulctā, in quam incurrit, uel pœnam, sed quia propter eorum miserabilitatem marcescunt aliquando in carceribus, iuridicum & conueniens uisum fuit, quòd qui non habet in ære, luat in corpus. uerum quia ex informationibus ipsis plerunq; fiscus indebitè læsus remanet, tum quia non interuenit, tum quia multoties informationes ipsæ non sumantur, ut in simili casu deceret & conueniret; huic rei prouidere uolens Senatus, statuit informationes ipsas sumi debere in ciuitate Mediolani per unū ex notariis Camere Extraordinariæ, cū interuentu fisci, & non aliter, sumptasq; ipsi ordini referendas ut eis intellectis petentibus prouideri possit. Subscripta B. Patelarius. & sigillat. &c.

ORDO QVOD NOTARII actuarii non commendent originalia acta partibus.

M. D. LIIII. Die Veneris ultimo Augusti.

INnotuit nuper Excell. Senatui, plerosque tribunalium dominii Mediolani Notarios acta causarum recipientes eorum originalia parti aduersæ, ut eis respondere possit, cōmodando dare consueuisse. Quod & si subditis utile esse prima facie uideatur, tanquā factum ad minuendas impensas, & ut

celeriùs respondeatur, tamen cùm sit indecens, ut quispiā aduersarii sui scripturas originales in potestate sua habeat, præsertim cū & falsitates ea uia cōmitti aliquando,& alia præiudicia causis afferri possint,ultra eorum actorum amissionem;optimū iudicauit Senatus huic periculo quā primū occurrere. Matura itaq; superinde habita deliberatione, Ordinauit,& ita seruari mandat, ut nullus notarius aut scriba actuarius cuiuslibet tribunalis,& officii in toto dñio Mediolani,audeat posthac originale aliquod actum alteri parti tradere, sed copiā; sub pœna priuationis officii,& alia grauiori arbitrio Senatus ipsius. Sigillata more solito. Signata Annibal Cruceius.

ORDO QVOD HOSPITES Merularum,& Magdalenæ non teneant Meretrices.

M D LVI. Die xx.Septembris.

INnotuit Excell.Senatui Mediolani,in locis Hospitii merularum extra P.O. & Hospitii Magdalenæ extra P.V.plura in dies delicta,& scelera committi,idq; euenire ob lenones & meretrices in ipsis Hospitiis fere semper degentes.cūm aūt hæc non sint toleranda,& ut delictorū causæ remoueantur; Senatus,re maturè cōsiderata,cēsuit,mandan. Hospitibus dictorum locorum sub pœna trium ictuum funis eis publice dādorū,ne posthac in suis hospitiis personas aliquas inhonestas die noctuúe admittant,aut hospitentur, uel retineant; & si quas habent,eas illico eiiciant, sub eadem pœna. mandatq; D.Vicario Iustitiæ Mediolani,ut præsentem ordinationē exequatur,Subscrip.Annib.Cruceius,

Ordo

ORDO QVOD INQVISITIOnes posſint reformari non obſtante ſtatuto.

1558. die ultimo Octobris.

EXpoſuit in Excell. Senatu D. Vicarius Iuſtitiæ Mediolani, plures ad officium ſuum reperiri Inquiſitiones formatas non ſeruatis aliquibus ſolennitatibus de iure municipali requiſitis; cauenq; ſtatuto, ne Inquiſitiones eo modo formatæ iterari posſint. ac propterea conſuluit Senatum, quid in iis ſeruandum eſſet.

Senatus re maturè conſiderata, ne delicta impunita remaneant, cenſuit, Inquiſitiones, de quibus ſuprà, iterum reformandas eſſe, allegato ſtatuto non obſtante. Subſcrip. Annib. Cruceius: & ſig. &c

ORDO QVOMODO CONdemnandi ſint, qui committunt Schachum.

M D LIX. Die xxv. Ianuarii.

CVM hæſitaret D. Iudex Equi, quomodo nonnullos condemnare deberet, qui uocati pro ſcacho non comparuerant; conſuluit Excell. Senatum ſuper ipſo negocio:

Senatus uerò cenſuit, illos iterum ſub pœna furti citari debere, & in eam pœnam condemnari, ubi nõ comparuerint.

Signat. Io. M. Cat. & ſigillata &c.

ORDO CONTRA DEFERENtes arma prohibita, & incedentes laruatos cum armis.

Philippus Hispaniarum &c. Rex, & Mediolani Dux &c.

DIlecte noster. Cùm multi die noctuq; per hanc ciuitatem deferant arma prohibita, & aliqui et laruati cum armis incedant; ut scandalis occuratur, & temeritates insolentium comprimantur, damus uobis facultatem, ut si huiusmodi inobedientes capi non poterunt, eos sub pœna trium ictuũ funis citetis, quatenus coram uobis sistant, ue-strocq; examini se subiciant: & si contumaces fuerint, eos condemnabitis. quòd si aliqui capi poterunt, eos illico pœnas in edicto comminatas subire cogetis, nulla ad Senatum relatione facta. Dat. Mediolani die xi. Februarii 1559. Subscript. Franciscus Pe. Nigra, & sigillata à tergo, egregio iureconsulto Vicario Iustitiæ nostro dilecto.

ORDO QVOD NOTARII teneantur officialibus, & Fiscalibus date notulam processuum pendentium.

M D LXVI. die xxviii. Nouembris.

ET si ex ordinibus antehac editis Notarii rerum criminalium huius ciuitatis teneantur Magistratibus, Fisciq; aduocatis & Syndicis processuum pendentium scientiam scripto dare; innotuit tamen

men Senatui Excell.etiam ex Fiscalium querimonia, dictorum actuariorum maxima negligentia, magnusq; abusus & ordinum neglectus, in non leue iustitiæ detrimentum, iccirco præfatus Excell. ordo mandat notariis prædictis sub pœna suspensionis ab officio ad semestre, & alia etiam grauiori eius ordinis iudicio, quatenus hinc ad festa natalitia proximè uentura cum effectu consigent Iudicibus suis, & Fiscalibus notulā processuum quorumcunq; pendentium ab anno 1559. inclusiuè citrā, scilicet post decretum gratiosum, aliorum uerò posthac agitandorum teneantur singulo bimestri certos reddere præfatos Iudices & Fiscales per rotulum in scriptis processuum pendentium & non perfectorum; ut ii eorum perfectioni studere ualeant. quibus officialibus mandat Senatus, ut omni studio & diligentia perfectioni incumbant. Sigillata &c. in cera rubea more solito, & signat. Facius.

DECLARATIO QVOD CRIdæ de prima Euaginatione loquentes comprehendant eos, qui sunt in societate primò euaginantis.

Philippus Angliæ &c. Rex, & Mediolani Dux &c.

Dilecte noster, Declarationem proclamatum superioribus mensibus in materia delationis armorum, ab Illust. Dominii Mediolani tunc Gubernatoribus promulgatorum à Senatu nostro factam mittimus ad uos, ut eam in locis solitis iurisdictionis uobis demandatæ publicari, & obseruari facia-

tis. Dat. Mediolani primo Iulii. 1555. Signat. Annibal Cruceius, à tergo Egregio iurisconsulto Prætori Mediolani nostro dilecto.

M D L V. alli 25. di Giugno. Essendo alli mesi passati stata publicata in nome delli Illustriss. Sig. allora Gouernatori dello stato di Milano una crida sopra la materia del portare dell'arme: nella quale pare che nõ si espressamente detto, che quelli, li quali si trouano in compagnia delli primi ponenti mano all'arme, hauessero ad essere puniti nella medesima pena, nella quale incorreno li principali, come per il passato è stato osseruato: & dubitando li Giudici, come si douesse osseruare, & procedere; sono ricorsi all'Eccell. Senato per sapere ciò che in tali casi fosse da osseruare.

Però per leuare tale dubitatione ad esi Giudici, esso Eccell. Senato há comandato publicarsi la presente crida: per la quale si dichiara,

Che qualunque si trouará essere in compagnia di quelli, che saranno primi á mettere mano all'Arme, cascará & sará condannato nella pena medesima, nella quale incorreranno li principali, & come si contiene nel quarto capitolo della predetta crida. Signat. Annib. Cruceius.

ORDO PRO TOLLENDIS uariis grauaminibus carceratorum.

M D LXI. Die primo Octobris.

CVM Innotuisset Excellen. Senatui Mediolani, uaria in dies grauamina iis, qui uel ducuntur ad carceres, uel se sponte constituunt, tam à custodibus carcerum, quàm à ueteribus carceratis inferri,

ferri, tum pecunias ab eis extorquendo, tum eos spoliando tum, cùm à carceribus D. Capitanei Iustitiæ, uel dñi Prætoris Mediolani ad malam mansionem traducuntur; illud etiam additum fuisset, commentariensem, siue eum qui carceratis cibaria præbet, solere ab illis, qui à carcere D. Capitanei Iustitiæ ad Roccheetam portæ Romanæ minoris incõmodi gratia duci uolunt, singulos nummos Regales quotidie exigere: uiderenturq; hæc nullo modo toleranda esse, cùm reis sat molesta sit carceratio, & impensa, quæ necessario subeunda est;

Senatus, re tota maturé considerata, mandat tam custodibus carcerum, quàm quibuscunq; aliis carceratis, ne quicquam directè, aut indirectè accipere audeant ab iis, qui siue sponte siue aliter carceres ingrediuntur; nisi summam soldorum decem, dũmodo tales ingredientes in carcere pernoctent: secus, nihil omnino accipiant; sub pœna triũ ictuũ funis. eadem pœna plecti mandat, quicunq; ausus fuerit carceratum aliquem spoliare, etiam dum ad malam mansionem traducitur.

Et quia inoleuit corruptela, ut qui antiquior est carceratus in mala mansione, & Prætor appellatur, pecunias quasdam ab aliis carceratis exigere soleat:

Senatus prohibet, ne quicquam ultra solidos quinque exigatur sub eadem pœna.

Cumq; sæpe euenire soleat, ut carcerati uel post absolutionem, uel post datas pœnas retineantur pro impensa cibaria, quam propter paupertatem solue re nequiuerint; iubet Senatus, nisi commentariensis opportuno tempore sibi pro impensis cauerit, illos tales liberè dimitti, ubi aliàs modum soluendi non habeant.

Et quia non nunquã diutius, quàm par est, in carceribus retinentur causa notariorum, & scribarum, qui processus tradere pauperibus gratis recusant; Huic quoq; casui prouideri uolens

Senatus mandat Notariis, & scribis, ut miserabilibus personis copias processuum (ubi publicati fuerint) statim edant absq; ulla solutione, sub pœna scutorum decem auri Fisco Reg. app. quotiescunque contrafactum fuerit.

Subscrip. Annib. Cruceius, & sigill. &c.

ORDO CONTRA Concubinarios.

Philippus Hispaniarum &c. Rex, & Mediolani Dux &c.

Dilecte noster. Intelleximus quamplurimos esse, qui Dei omnipotentis parum Reuerentes in sordibus concubinatus uitam ducunt. quod cùm ob Dei honorem, ac publicum exemplum ferendum non putemus, committimus ac iubemus uobis, ut habita singulorum notitia, illis præcipiatis sub ea pœna pecuniaria, quæ uobis pro eorum facultatibus conuenire uisa fuerit, pro tertia parte Fisco nostro, pro alia tertia accusatori applicanda, & pro alia tertia parte in pios usus conuertenda, ut illico concubinas domo eiiciant, nec amplius recipiant, neùe ad eas quoquomodo accedant. et si qui parere neglexerint, eos in pœnam comminatam condemnetis; mox ad ulteriora contra eos procedatis, ac Iustitiam faciatis, referendo si qua referenda fuerint. Mediolani xxi. Iulii 1567.

Subscrip. Annib. Cruceius, & sigill. &c.

ORDO QVOD PENSIONANTES, & emphiteotæ sint suppositi pheudatariis.

SErenissi.Cæsar, Et si clara sit constitutio, ꝙ pensionantes ciuium sint sub Iurisdictione feudatarii, & sic etiam obseruatum sit in præteritum, prout attestari possunt D. Fischales: Nihilominus D.Capitaneus Martesanæ Contendit cum fidissimo M. V. seruo Prætore Meltii & Gorgonzolæ, Iurisdictionis M. V. ser. Mag. Comitis Ioannis Firmi Triuultii Senatoris, ꝙ pensionantes ciuium non sint subditi Iurisdictioni pheudatariorum: ut uult interpretari uerba constitutionũ, in titulo de pheudis. in cap. interdictum est fol. 63. in uers. seu. §. non cõprehendit etiam hæc cõstitutio emphiteutas, nec pensionantes ciuium & nobiliũ, nec etiam colonos, uel fictabiles ciuium bona immobilia colentes, ubi hi colerent bona immobilia propria, uel quæ a subditis pheudatariorum conduxissent, quæ maioris quantitatis forent eorum, quæ a ciuibus conducta haberent: quæ limitatio & restrictio, scilicet ubi hi colerent bona propria, essent maioris quantitatis eorum, quæ à ciuibus conducta haberent, referatur etiam ad pensionantes; Quod non potest congruere litteræ, Quia uerbum colere non potest referri ad pensionantes, nec ad emphiteutas, sed solum ad colonos, uel fictabiles, quorum munus est bona colere, & conducere: Item etiam imprimis Constitutio facit regulam generalem, scilicet, hæc constitutio non comprehendit emphiteutas, nec pensionantes; de hinc augumentatiue procedens dicit, nec etiam colonos, ubi hi colerent &c. Item relatio dictæ

distinctionis debet referri ad proxima: Item pensionantes ut plurimum non colunt bona nobiliũ, sed si colunt, tunc transeunt in aliud nomen quã pensionantes, quia eo in casu coloni uel fictabiles dicuntur: Item ꝙ res clara est, tum ex uerbis, tum ex interpretatione,& usu factis in præteritum, & ubi aliter intelligeretur, hoc certe esset euacuare fere omnem iurisdictionem pheud. Cùm illa ut plurimum in similibus consistat. Et propterea cũ hic agatur de interpretatione Constitutionum à M.V. editarum; ipse prætor

Supplicat M.V. ut illa dignetur mandare præfato Capitaneo Marthesanæ, ut in causis pensionantiũ emphiteotarum se non intromittat in iurisdictione præfati Prætoris Meltii, & Gorgonzolæ, nec aliquo modo procedat sub prætextu decreti maioris Magistratus. & ubi declaratione & interpretatione constitutionum opus sit, quòd M.V. declaret, pensionantes,& emphiteotas ciuium expresse nõ comprehendi in decreto maioris Magistratus. Mandando ipsi Capitaneo, ut interim desistat à procedendo in causa, de qua suprà, donec per Senatum super hoc ordinatum fuerit.

Capitaneo Marthesanæ &c. Quia non conuenit ut quisquã coram incompetente Iudice littigare cogatur, comittimus tibi, ut in causis pensionantium, & emphiteotarum ciuium, qui habitant in iurisdictione Meltii,& Gorgonzolæ, te non intromittas, sed causas eorum ad Prætorem D. pheudatariorum eorum locorum remittas. Mediolani quinto Ianuarii, M. D. LIII.

Subscrip. Patellanus,& sigillat.&c.

ORDO CONTRA BLASPHEmatores respectu condemnationum.

Philippus Hispaniarum, Angliæ &c. Rex, & Mediolani Dux, &c.

Dilecte noster, cũ multi pro blasphemiis, Quas in Deum, Virginem, & sanctos proferunt, fere quotidie condemnẽtur, intelleximus tamen eas condemnationes fere nunquam exigi, aut ad officium sanitatis, cui ex formula constitutionum adiudicantur, mitti. Quæ res nullo utiq; modo ferenda est.

Ideo uobis comittimus, uestrisq; successoribus, ut si condemnati pro blasfemia nexi erunt in carcere, eos non dimittatis, nisi uobis constiterit, pœnam blasphemiæ officio sanitatis esse solutam.

Si uerò nexi non erunt, condemnationes contra eos sequutas mittetis ad officiũ sanitatis intra id tempus, quo condemnationes Fisco nostro adiudicatas tenemini ex forma constitutionem ad Quæstores nostrorum reddituum mittere. Monebitisq; Notarios actuarios uestri tribunalis, qui nũc sunt, & per tempora erunt, ut hanc nostram sanctionẽ omnino seruent, sub pœna soluendi de suo si non seruauerint. Mediolani die xxvii. Iulii. M.D.LIX.

Signat. Franc. Petranigra, & sigillata &c. atergo, Egr. Viro Cap. Iustitiæ nostro dilecto.

ORDO SERVANDVS IN relationibus, quæ fiunt in scriptis.

Relationes statuum causarum Criminalium, aut processuum perfectorum, quæ per Officiales,

iusdicentesq; huius Dominii ad Senatum mittun tur; quum perperam, atque inordinatè, aut prolixiùs, quàm par est, scriptæ sunt; legentes, audientesq; grauiori labore afficiunt. Hac de causa decreuit Senatus, Tenore præsentis ordinationis huic non mediocri molestiæ occurrere. Monet propterea ipsos omnes, & singulos officiales, atq; etiam mandat; ut relationes posthac faciant breuiores, quàm poterunt: non tamen ex ea breuitate obscuræ reddantur, aut quicquam de substantia causæ omittatur: easq; distinctis, & intelligibilibus literis, bonaq; papyro, & latæ impressionis cō scribi curent; ut faciliùs legi queant. folia etiam in modum paginæ consuenda erunt, ne forte (quod aliquando fit) dissoluta depereant. Denunciæ, notificationes, quærelæ delictorum, nomina delatorum, detentorum, constitutorum, testiumq; ad offensam, ac defensam receptorum, inquisitio, si extat, & alia huiusmodi, in capita cum dierum annotatione, in quibus ea facta fuerint, redigenda sunt: & successiuè ordinanda, ut illa citiùs, minoriq; incommodo inueniantur. Itaque extra ordinem linearum in margine promineant; Marginesq; foliorum latiores, ac cum debitis spaciis esse debeant; ut lectores in eis, quæ sibi uidebuntur, apponere possint. Cùm super eodem capitulo diuersi testes deposuerint ad defensam, & sint conformes in dictis: sat erit in relatione, post explicitam unius testis narrationem, dicere, eos omnes conformes esse: & si quispiam ex eis aliquid addiderit, insuper addita subiicere. ubi uerò diuersimode fuerint testificati: seriatim narrentur singulorum dicta cum eorum exceptionibus, omissis superfluis: ita ut

semper

ſemper poſt quodlibet capitulum ponantur dicta teſtium capitulum ipſum reſpicientia. Quòd ſi relatio plures cauſas, aut imputationes contineat ſingulæ ſeorſum cum ſuis indiciis, & defenſionibus, ac omnibus pertinẽtibus diſtinguendæ ſunt; neq; una cum altera commiſcenda, ut confuſio ſe quatur: ſed iuxta ſuperiùs dicta omnia clara ſint. Cùm autem in fine relationis diſinitiuæ Curiæ uotum apponitur (ut moris eſt) ipſum etiam pro minere conuenit, & in capite locari: in quo perſtrictius, quàm fieri poterit, dicendæ ſunt cauſæ, ratio nesq; , quibus ad proferendam ſententiam ſuam iudex adductus fuerit. Hæc uerò ſpeciatim commemorata ſunt, quoniam in iis frequentiùs peccatur. non q; diligens relator plura quoq; præſtare non poſſit ſuo ſtudio: quæ Senatui gratiſsima futura ſint. M. D. L X V. die xxii. Iunii.

G. Roccha.

ORDO SERVANDVS A IVdicibus in comparendo coram Senatu pro relationibus faciendis.

M. D. LXVI. die 3. Ianuarii.

VSu compertum eſt, tolerantiam quòd a nonnullis annis citra Officiales & Iudices rerum Criminalium huius Ciuitatis, ſimul omnes, ſiue plures eorum uno tempore, Senatum ingrediantur pro referendis proceſsibus, impedimentum in ter ſe, & temporis iacturam parere, eſſeq; contra Senatus dignitatem. Quare is ordo decreuit, priſcam conſuetudinem eſſe ſeruandam.

Mandat itaq; præfatis Officialibus & Iudicibus, ut

ad Senatum tantùm ueniant diebus, quibus audiendis publicẽ causis non uacat, nisi fortẽ sibi contingeret ex urgenti causa, quæ dilationem non admitteret, eundem ordinem consulere. Prohibetq́ illis ingressum absq́ licentia; sed uult, ut subsistant in Cancellaria, donec à Secretario singuli uocentur, hoc ordine, uidelicet primò D. Capitaneus Iustitiæ, secundò D. Prætor, tertiò D. Vicarius Iustitiæ, Et his exinde succedant Iudices Prætorii. Quos omnes monet, quòd statutis diebus ueniant hora admodum matutina, ut in prima hora, quæ sibi ad referendum assignata est, possint suas relationes absoluere. Vult tamen, ꝙ si D. Capitaneus siue Prætor non aderunt quando Senatus incipiet sedere, Introducatur unus ex aliis, qui prior uenerit, ne tempus teratur. Et insuper ordinat, quòd ubi primò admissus retulerit, statim recedat, aliusq́ post alium ut suprà introducatur. Subscrip. Landrianus, & sigillat. &c.

ORDO CONTRA REOS, ET eorum fideiussores, perhemptoriẽ citatos.

M. D. LXX. Die sexto Iunii.

CVm ad officia maleficiorum D. Prætoris, & Iudicum Mediolani multi sint fideiussori relaxati delati de diuersis criminibus, & processus sint expediti, & in actu relationis, & multi perhemptoriẽ etiam sint citati, nec fideiussores, neq́ principales rei uelint comparere, hocq́ cedat in detrimentum Regiæ Cameræ, & cũ de eis omnibus ꝑ D. Iudicẽ equi factũ fuerit uerbũ in Senatu Excellentiss. Censuit is ordo, eos, qui sunt perhemptoriẽ citati, de

nouo

nouo citari debere, & ubi non compareant, fideiussores condemnandos, & principales detinendos fore: mox ad expeditionem eorum processuũ deueniendum esse.

Signat. Landrianus, & sigillata &c.

DECRETVM GRATIOSVM
editum die 18. Decembris 1571.

DON ALVARVS DE SANDE,
Arcis Portæ Iouis Mediolani præfectus,
Et Prouinciæ Mediolanen Gubernator, ac Italiæ
Regius Capitaneus Generalis. &c.

MAgnæ sanè, atq; optabiles superioribus temporibus causæ se se obtulerunt, ob quas frequentes Deo immortali gratias agi, & uaria publicæ lætitiæ signa edi par fuit: Sed nulla iudicio nostro aut maior, aut optabilior extitit: quã quæ Dei Opt. Max. beneficio nuper oblata est cùm Sacratissima Regis Catholici Domini nostri Maiestas Filiolo, non modo ad succesionis tot regnorum suorum spem, sed etiam ad uniuersi terrarum orbis tranquillitatem, aucta est: ob cuius felicem, atq; opportunum, exoptatissimumq; ortum, post actas bonorum omnium Datori Deo debitas gratias, hoc etiam, in maius lætitiæ argumentum, edictum publicè proponendum curauimus: quo uariorum criminum pœnas condonandas, & creditorum in debitores seueritatem aliqua ex parte mitigandam duximus.

Itaque

Itaque præsenti edicto nostro, Regia & Ducali auctoritate, qua fungimur, habita Senatus Excellentiss. sententia, reque postmodum etiam in Consilio Secreto participata, Decernimus, statuimus, & mādamus, omnes & singulos huic Dominio Mediolani mediate, immediateúe subiectos, aut in eo firmam habitationem habentes; qui de quibuscunque delictis & criminibus, etiam capitalibus, ab hodierna die retro factis, uel commissis suspecti, delati, accusati, uel indiciati sint, etiam si confessi aut conuicti fuerint, & siue processus ipsi adhuc cœpti non sint, siue adhuc pendeant, siue iam condemnatio sequuta fuerit, & siue rei in carcere sint, siue iam ad triremes deportati, siue sub fideiussione extra carcerem ius dicant, siue adhuc in iudicio non comparuerint, & siue in contumaciam banniti, aut cōdemnati, aut arbitrio nostro, uel Senatus, aut aliter certo tempore, aut perpetuo exulare iussi fuerint; à quacunque pœna, non modo corporali, sed etiam mulcta, uel condemnatione pecuniaria, uel bonorum confiscatione, quæ tam ad Regiam Cameram, quàm ad Feudatarios, uel communitates huius dominii spectaret, dummodo pœna, uel mulcta, uel condemnatio realiter exacta, uel composita non sit, aut bona ipsa per sententiam confiscata, & actualiter apprehensa non fuerint; ipso iure & facto absolui & liberari debere. Atque ita præsenti edicto absoluimus, & liberamus, ac liberos, & absolutos esse uolumus: & si aliqui prædictis de causis carceri mancipati sunt, eos illico liberari, & dimitti mandamus.

Atque hæc omnia locum habere declaramus quò ad eos tantùm, qui legitimam remissionem, & pacem

ab offensis

ab offensis habuerint in casibus, in quibus remissio necessaria est: aut illam intra tres menses post huius edicti publicationem obtinuerint, & intra idem tempus officialibus, ad quos spectat, spectabitũe, citato Fiscali illius ciuitatis, aut loci, ubi adsit, in authenticã formam legitimè præsentauerint.

Declarantes etiam inter casus, in quibus remissio partis non requiritur, comprehendi casum prouocotionis ad rixam, insultus simplicis, primæ euaginationis, aut delationis armorum prohibitorum: ubi tamẽ uulnera, percussionesúe sequutæ nõ fuerint.

Volumus autem, ut officiales in abolitionibus faciendis ad omnia diligenter aduertant: & si qui forte simpliciter de homicidio condemnati fuerint aliquibus indiciis præcedentibus; ex quibus suspicio animi deliberati elici possit: licet qualitas ipsa expressa non sit; sed tantùm præmissa facti narratione inquisitio formata fuerit; mandamus, ut productis legitimæ remissionis instrumentis rem omnem Senatui referant, qui pro casuum & personarum qualitate quid agendum fuerit decernet.

Declaramus insuper in hoc Edicto non comprehendi eos, qui in crimina Læsæ Maiestatis, Rebellionis, Hæresis, Fabricationis falsæ monetæ, Sodomiæ, Homicidii animo deliberato patrati, mandati ad occidendum dati, ex quo sequutus fuerit effectus, & Testimonii falsi ad offensam in causa capitali perhibiti, aut in aliquod eorũ inciderint: quos omnes, & singulos præsentis edicti beneficio gaudere nolumus: sicuti neq; eos, qui dũ Officiales essent, in suis officiis deliquerunt, quos pariter ab huius Edicti indulgentia exclusos esse declaramus.

Volumus tamen Consules terrarum, Antianosq; pa-

rochiarum, qui ob denuntiationes omissas, uel mi nus legitimè factas in pœnam aliquam incurrerint, sub officialium nomine nō censeri, sed in hoc decreto compræhensos esse.

Mandantes omnibus, & singulis Officialibus, Iusdicentibus, & Notariis huic dominio, mediate, uel immediate subiectis; ad quos spectar, spectabitúe, ut omnes, & singulos processus, scriptutas, condemnationes, acta, banna, & quælibet alia, quæ in causis suprà narratis facta fuisse repetiuntur (saluis tamen reseruatis utsupra) gratis deleant, & annullent, ac reorum huiusmodi nomina de albo tolli, & deleri faciant: sicur & nos præsenti Edicto delemus, annullamus, tollimus, & abolemus, saluis iis quæ respectu gratuitæ remisGionis a Senatu ordinata fuerunt die xxi. Aprilis Anni 1559. quæ ad unguem seruari uolumus.

Volentes etiam, & ita expresse mandantes quibuscunq; Officialibus, & Iusdicentibus utsupra, ut pro quibuscunq; delictis, uel criminibus adhuc non delatis, etiā si occulta essent (exceptis tamen superius reseruatis) atq; eorū occasione, nullo modo in futurū procedere, inquirere, aut aliquos molestare audeant: modò in casibus, in quibus requiritur, ab offensa parte legitima remissio obtēta fuerit, uel illam in futurum obtineri contingat, & termino mensium trium postquam de ipso delicto delati fuerint, & contra ipsos procedi cœptum sit, remissio ipsa eorū officio legitime exhibita fuerit.

Ad hæc decernimus & ordinamus, quoscumq; rā publici quàm priuati debiti causa in carcere detentos ex ipso carcere illico dimitti debere: quos omnes, & alios quoscūq; debitores, siue ex causa publica,

siue ex

siue ex priuata, intra quatuor menses personaliter molestari hoc edicto prohibemus.

Decernimus prætereà omnes, & quascumque mulctas, siue condemnationes pecuniarias, tam Regiæ Cameræ, quam Feudatariorum, & communitatibus urbium, oppidorum, & aliorum quorumcunque locorum huius dominii quacumque ex causa in hanc usq; diem factas, & applicatas nullas esse, neq; exigi aliquo modo posse, saluo ut supra, & saluo semper iure tertii quo ad capitale debitum, cui derogare non intendimus. In quorum fidem præsentes manu nostra subscriptas, sigilloq; nostro munitas fieri iussimus. Mediolani die 18. Decembris. M. D. LXXI.

Signata, Don Aluaro de Sande.

DECLARATIO EXCELLENTISS. Senatus super Decreto gratioso edito die 18. Decembris anni 1571.

INnotuit nuper Senatui, quamplures in interpretanda, & exequenda generalis abolitionis sententia abusus per aliquos Officiales admissos fuisse: Nam etsi in publica hac, & tanta lætitia quāplura fuerint condonanda, nonnulla etiam iustè ueniunt retinenda, aut saltem accuratè perpendenda: in iis præcipuè casibus, qui ex annexa notula adnotantur; pariter & ubi de re pecuniaria agitur, si per fideiussionem, aliterúe Cameræ cautum sit. Itaque animaduertendum, nec prius ad hæc apponenda manus, quàm consulatur Senatus, & quæ ipsius Ordinis sit sententia, habeatur.

Homicidium ab eo commissum; qui alia duo homicidia patrarit, etiam si ob ea damnatus nondũ sit.

Vulnus proditoriè sclopo rotato illatum, etiã si mors non succedat.

Diminutionem monetarum, ubi amplius quàm semel fiat.

Raptum mulieris honestæ: & si copula non sequatur.

Vsum uenereum cum Sanctimoniali in habitu intra monasterium degente.

Sodomiam.

Spoliatores uiatorum, seu derobatores stratarum.

Adulterantes sigillum Principis, aut Senatus.

Propinationem ueneni.

Cædem Officialis Ducalis.

Qui seditionem mandãt, Populumq́, aut Plebem aduersus Principis, uel Senatus decreta, & prouisiones concitant.

Qui testimonium falsum in causa, in qua ingeratur pœna mortis naturalis, ad alicuius offensam dicunt, aut ab alio dici curant, aut mandant.

Qui executiones Reorum, ubi de mortis, uel mutilationis membrorum pœna agitur, impediunt, uel ab aliis impediri curant, aut mandant.

Signat. Facius.

DECLARATIO IN CAVSA furtorum pertinens ad Decretũ gratiosum.

M. D. LXXI. Die xix. Decembris.

CVm refereretur carceratorum generalis uisitatio coram Illust. & Excellentiss. Gubernatore Dominii

minii Mediolani sedente in Excellentiss. Senatu, & sermo haberetur de non nullis pro furtis ad remum damnatis; DD.Protectores carceratorum dixerunt,aliquos dictorum damnatorum aliqua furta fassos fuisse,sed de illis non constare,& propterea ignorari à quibus habēdæ sint remisſiones. Petebant igitur prouideri, ut ipsi fures memorato impedimento nō obstante, ubi alias requisitas habeant, decreti gratiosi nuper editi beneficio possint gaudere,re uero maturè perpensa;

Declarauit idem Gubernator cum uoto ipsius Senatus,fures ipsos,etiam quòd remisſiones non habeant pro illis furtis,de quorū dominis non constat,ubi idoneas alias habuerint remisſiones pro aliis delictis,dicto decreto posse gaudere: cum eo tamen,quòd si dominus,cui furtum illud patratum fuerat, apparuerit, fur iam in gratiam receptus uirtute huius decreti ab ipso domino remisſionem obtineat termino mensium duorum postquā apparuerit.

Signata Io.M.Cattaneus, & sigillat.

ORDINES EXCELLENTISS. Senatus obseruandi ab Officialibus, & notariis in abolendis reorum nominibus,editi anno 1559.de quibus Decretum generalis abolitionis meminit.

M. D. LIX. die xxi. Aprilis.

TAmetsi in generali criminum abolitione, quæ nuper ob pacem inter Catholicum, & Christianisſimum Reges initam promulgata est, mandatum

tum fit omnibus Magistratibus, seu Officialibus, & Notariis, ut nomina Reorum in eo decreto cōpræhensorum gratis de albo deleant: attamen re ad Senatum delata, cum aliqui Officiales nullum ex ærario publico stipendium percipiant, & Notarii tribunalia rerum criminalium sub certis pensionibus conducant; uisum est eorum aliquam rationem habendam esse. omnibus igitur diligenter perpensis:

Senatus censuit, concedendum esse, & permittendum, atque ita præsenti Senatusconsulto permittit Officialibus, qui nullum de publico salarium habent, ut in hac generali criminum abolitione honorarium accipere possint, uidelicet, pro qualibet causa capitali Aureum unum scutatum: pro causa uerò non capitali dimidiam unius Aurei partem: à Miserabilibus autem personis nihil prorsus accipiant.

Notariis quoque rerum criminalium in abolendis Reorum nominibus permissum est, ut pro qualibet causa capitali dimidiam unius Aurei partem, non capitali uerò quartam partem Aurei, à Miserabilibus autem personis nihil omnino accipere possint.

Gubernatores insuper statutorum Mediolani in causis Reorum de albo delendorum non possint pro ea abolitione accipere nisi asses decem Imperialium pro quolibet Reo, qui tamen non sit Miserabilis, quoniam à Miserabilibus nihil exigere iubentur.

Præter honoraria supradicta nihil prorsus accipiant, etiam à sponte dantibus, aut dare uolentibus.

Sub pœna ipsis Officialibus, Notariis, & Gubernatoribus

toribus

toribus quadrupli Fisco Reg. adiudicanda, & alia etiam grauiori arbitrio ipsius Senatus infligenda, si huic sanctioni non paruerint.

Subscrip. Franciscus Petranigra.

ORDO PRO CELERI EXPEDITIONE CAUSARUM CRIMINALIUM.

M D LXXIII. die xxiiii. Octobris.

ET si antiquis decretis cautum fuit, processus criminales perfici debere intra spatium a iure municipali ciuitatis, aut loci cuiusque præfixum: ubi scilicet ius municipale adest: ubi autem nō adest, intra dies xv. a die delati criminis inchoari; & intra lx. perfici, non computatis tamen feriis in honorem Dei institutis: Viguitque consuetudo, ut, ubi processus intra eiusmodi temporis spatium non perficerentur; Iudices non perfectorum processuum causas Senatui redderent: attamen perdiu est, cúm nihil horum obseruatur, magno cum subditorum huius prouinciæ Mediolanensis incommodo & damno, certoque iustitiæ contemptu. Quocirca malo huic remedium adhibere uolens Senatus, submonitus etiam ab Illustrisßimo & Excellentisßimo Regio Locumtenente;

Mandat omnibus & singulis officialibus & iusdicentibus huius prouinciæ Mediolanensis tā mediatis quàm immediatis, ut omni studio ac diligentia muneri suo incumbant: & processus corā se pendentes, & quos posthac agi contigerit, intra præfixos terminos inchoent, & perficiant: aut causas, quare perfecti non fuerint, aut perfici nequeant, Senatui quàmprimum reddant, sub pœna pri-

uationis

uationis officii,& alia grauiori Senatui ipsi arbitraria: idq; in officio quisq; suo publicari,& registrari faciat; ut successoribus etiam innotescat; inuiolabiliterq; & perpetuò obseruetur: publicationisq; & registrationis factæ litteras ad Secretarium sub scriptum quamprimum mittat.

Annib. Cruceius.

CORRECTIO QVORVNDAM abusuum, qui in faciendis processibus criminalibus committebantur.

M D LXXIIII. die ix. Septembris.

CVm egregius D. Iacobus Bripius unus ex Vicariis generalibus status Mediolani ab Excell. Senatu electus ad syndicandum Vicarium Capitanei Iustitiæ, notariosq;, & alios illius Tribunalis ministros pro annis 1572. & 1573. in relatione sua præfato Senatui facta adscripsisset, se in euoluendis actorum libris abusus quosdam prouisione dignos animaduertisse: Senatus, qui nihil aliud studet, nisi ut iustitia, cuius administrandæ cura ei cõmissa est, rectè, & rite omni ex parte administretur; habita eorum, quæ præfatus D. Bripius admonuerat, matura consideratione, & re communicata cũ Illustriss. & Excell. Regio Locumtenente, ad singula monita opportunas prouisiones adhibuit in modum infrascriptum.

Primum D. Bripii monitum est, quòd in prædictis libris actorum, ubi tractatur de pœna uulneris, quæ per remissionem partis offensæ tollitur, ubi præsentatur remissio, ulterius nunquam in illis causis proceditur, cũm tamen supersit ferè in omnibus delictum

delictum prioris euaginationis, & abusus: unde damnum in hoc Fisco infertur ex eo quòd omittitur processus ad ulteriora.

Decretum Senatus, Procedatur ad condemnationē abusus armorum,& prioris euaginationis,non obstante remisiione.

Secundum monitum est,quòd actuarii multas, immo omnes uisitationes, multas autem querelas, & multa indicia in foliis describunt,dicentes se in libros mox relaturos; sed multas hactenus omiserunt,quas in libris,ut debebant, non scripserunt: ideo fortè bonum esset breuem aliquem terminū dictis notariis, & actuariis, & coadiutoribus, & simplicibus scriptoribus præfigere,intra quem sub aliqua pœna tenerentur omnia in libros officii transferre; aliàs multæ fraudes circa dispersionem oriri possent,quæ non modicum & Fisco, & priuatis damnum possent inferre.

Decretum Senatus, Præfigatur trimestræ ad registrationem omnium retroactorum, & in futurum registrentur.

Tertium est, quòd ex quo librum particularem relaxatorum fideiussori conscribunt,frustra ille conficitur, postquàm non omnes in illum referuntur: quia cognoui ex lectione processuum,& collatione scripturarum,multos esse omissos. ideo cogendi sunt omnes in illum librum conferre,cum titulo delicti,nomine fideiussoris,& expressione quantitatis,prò qua fideiubetur.

Decretum Senatus, Fiat iuxta monitum.

Quartum est,quòd notarii multas habuere decretationes,ut formarent inquisitiones de turbata possessione, & ipsi addiderunt etiam de furto; unde

grauioribus expensis querelati grauati fuere.

Decretum Senatus, Moneantur, ut in posterum abstineant à simili abusu, sub pœna suspensionis ab officio per trimestre.

Quintum est, quòd multos detinere fecerunt pro insolentiis, quos noluerunt relaxare, nisi priùs per eos datis fideiussoribus de se consignando in termino limitato, unde magis grauauerunt querelatos, quàm debuerint.

Decretum Senatus, Ad hoc non uidetur esse manus apponenda, ne fortè processuum expeditio differatur; sed Iudicibus mandat Senatus, ut illos quã primum expediant, & ab auaritia abstineant.

Sextum est, quòd concesserunt capturas cõtra octo, & quandoque decem pro abductione lignorum, cum maximo querelatorum detrimento: ut puta Titius prætendens ligna cuiusdam nemoris ad se pertinere, cùm tamen in illius possessione esset Sempronius, de facto conduxit operarios ad succidendũ dicta ligna; qui bona fide conducti, credentes uero Domino operas præstare, succideruntq; alii, ut bubulci, pariter bona fide conducti dicta ligna abduxerunt. Querelatur Titius, qui conduxit operarios, querelantur & operarii, & bubulci: & damnum lignorum fortasse non excedit pretium duorum aureorum. Ideo uidetur nimis graue, ac dispendiosum, quòd pro tali delicto tot personæ grauentur captura, & tot expensis.

Decretum Senatus, caueant iusdicentes ab huiusmodi abusu.

Septimum est, quòd in libro condemnationum die 16. Nouembris anni 1573. facta fuerat condemnatio contra quandam Prudentiam pro scaccho.

capitum

capitum sex peltri facto D. Cæsari de Valle coadiutori in officio, pretii libr. 7. sold. 10. & condemnata fuerat ad fustigationem, & aurium perforationem, item ad restitutionem peltri, uel pretii, & tamen fuit cancellata, & in margine scriptum, errore condemnata quia aderat remisßio: & interrogatus super ea notarius dicit, quòd sub die 15. delata fuerat remisßio, sed quòd non fuit tunc aptatum uolumen condemnationum, super quo iam ut condemnata fuerat descripta, & quòd ideo nec ad cameram fuit transmissa.

Pariter etiam sub die 12. Decembris inter alios fuit condemnatus Moyses faber cementarius pro uerbis iniuriosis, & colapho cum sanguine mulieri illatis, in libris 25. tertiolorum: & cancellata fuit à notario condemnatio, & scriptum in margine, errore quia aderat comparitio. hic dicit idem notarius, quòd condemnatio facta fuit sub die 12. sed quia iam sub die 10. allata fuerat remisßio, qua non uisa pronuntiatæ fuerunt condemnationes, quæ tamen non essent illis notariis permittenda.

Decretum Senatus, Abstineant actuarii à similibus; sed si quid erroris interuenerit, curia ipsa consulta corrigat, & non ipse actuarius sub pœna falsi. & animaduertant Iudices ad causam scacchi, quam nimis frequenter in inquisitionibus describunt, & indebitè.

Atque hæc decreta, & prouisiones mandat Senatus apud omnia tribunalia huius Dominii Mediolanensis inuiolatè obseruari, sub pœna Iudicibus arbitrio Illustriss. & Excell. Regii Locuntenentis, aut Senatus ipsius imponenda: actuariis uerò,

coadiutoribus, & scriptoribus priuationis officii, & alia grauiore eidem Senatui arbitraria.

Annib. Cruceius.

DECRETVM PRO EXPEDItione processuum ueterum pendentium.

M. D. LXXIIII. die xv. Octobris.

CVm intellexisset Illustriss. & Excell. Regius Locuntenens, processus multos ueteres criminales inexpeditos remanere; cõsuluit per litteras Excell. Senatum, quid pro illorum expeditione prouidendum esset. mox Senatus responso accepto, ecq; laudato, rescripsit optimum fore, ut Senatus ipse, prout consuluerat, ita executione mitti quamprimum curaret.

Senatus igitur tenore præsentium eligit Egregios Iurisconsultos D. Cæsarem Aduocatum, & D. Iacobum Bripium Vicarios generales; quibus mandat, ut alter uidelicet D. Aduocatus ad tribunal Capitanei Iustitiæ, alter uerò uidelicet D. Bripius ad tribunal Prætoris Mediolani, cum interuentu Fisci, & participato negotio cum Mag. D. Sigismondo Picinardo Senatore, perficienda in dictis processibus perficiant, illorumq; expeditioni totis uiribus incumbant, & referenda Senatui referant. In aliis autem ciuitatibus, & locis totius Dominii Mediolanensis mandat Senatus ipsarum ciuitatum, ipsorumq; locorum Fiscalibus, ut unà cum Prætoribus earundem ciuitatum, & eorundem locorum uacent eiusmodi processuum expeditioni; & singulis

& singulis mensibus de iis,quæ gesserint, prædictum Senatorem admoneant:qui de omnibus in Senatu uerbum faciet, & eorum perfectionem curabit.

Annib.Cruceius.

DECLARATIO QVOD PRO annona exportata non possit contra aliquem procedi,nisi in termino anni inquisitio, uel citatio missa fuerit.

M. D. LIII. die Iouis 27. Iulii.

FActo uerbo in Senatu per D.Auditorem præfectorum annonæ de Bartholomæo Spinula, qui de annona exportata indiciatus,lapso demũ anno fuit de ea re inquisitus; cũm id factum esse diceretur contra formam constitutionum, res est in consultatione deducta: Tandem uisa ipsa constitutione,& negotio diligenter discusso;

Senatus censuit, ipsum Spinulam non esse molestandum;neq; contra alios in eodem,uel simili casu existentes procedendum esse: nisi in termino ipsius anni inquisitio,uel citatio transmissa fuerit.

Petranigra.

DE INFORMATIONIBVS sumendis pro personis miserabilibus.

M. D. LIII. die 29.Octobris.

COntingit sæpæ numero sumi informationes de alicuius miserabilitate existentis in carcere ob

aliquam

aliquam mulctam, in quam incurrit, uel pœnam: sed quia propter eorum miserabilitatem marcescunt aliquãdo in carceribus; Iuridicum, & cõueniens uisum fuit, ꝙ qui non habet in ære, luat in corpus. uerùm quia ex informationibus ipsis plerunq; Fiscus læsus indebite remanet, tum quia nõ interuenit, tum quia multoties informationes ipsæ non sumuntur ut in simili casu deceret, & conueniret; huic rei prouidere uolens Senatus,

Statuit, informationes ipsas sumi debere in ciuitate Mediolani per unum ex notariis Cameræ extraordinariæ cum interuentu semper Fisci, & non aliter; sumptasq; ipsi ordini referendas: ut eis intellectis petentibus prouideri possit.

Signat. B. Patellanus.

ORDO SERVANDVS IN electione Protectorum carceratorum.

M. D. LIIII. die 30. Martii.

CVm alias permulti pauperes uariis de causis, tã ciuilibus, quàm criminalibus, carceri manciparentur; iiq; defensoribus ob eorum inopiam destituti cùm alia grauissima incõmoda paterentur, tũ causarũ suarũ expeditionem adeò in longum protrahi sentirent, ut annum, & etiam amplius carceris squalorem perpeti cogerentur: erectum fuit officium, quod Protectorum carceratorũ appellant: cui administrando Iurisconsulti quinque, causidici quinq;, ac nobiles Mediolanenses quinq; præerant. uerùm cùm ii, qui nunc officio illi præsunt, nupertime Senatui Excell. exposuerint, se se multos

tos annos officium huiusmodi exercuisse, posthabitis aliquando rebus suis priuatis; neq; conuenire ut hoc onere perpetuò grauentur; petierintq; propterea se ab hoc labore eximi; qua in re legis etiam municipalis auctoritate nitebantur.

Senatus omnibus maturè, & diligenter consideratis, atq; perpensis; ne qui nunc hoc officio funguntur, perpetuo labore impliciti remaneāt, & ne qui in custodiam dati sunt, defensoribus carentes in carceribus marcescant; censuit illis uacationem ab eo munere dandam, & officium istud biennale faciendū esse. atq; ita alios Iurisconsultos quinq;, duos scilicet è senioribus, duos mediæ ætatis, unum è minoribus à dominis Abbatibus Iurisconsultorū Mediolani uocato collegio, alios causidicos quinque ab eorum collegio, & alios nob. Mediolanenses quinq; à DD. Vicario, & xii. viris Prouisionū Mediolani nominari debere mandat; ut illi à Senatu ipso approbati officium Protectorum carceratorum hoc proximo biennio exerceant. Pro reliquo uerò tempore usque in perpetuum id obseruari iubet, ut singulo quoq; biēnio duo ex iā admissis è quouis ordine unā cum tribus aliis è quolibet prædictorum ordinum nominandis, & approbandis utf. ad prænarratum officium exercendum deputentur.

Signat. Annibal Cruceius.

QVOD GVBERNATORE DEcedente illius cridæ censentur extinctæ.

M. D. LXIII. die secundo Iulii.

BAldessar Pellaratus, & Io. Dominicus Cropellus inquisiti fuerant de prima euaginatione, & uulne

tibus

ribus Io.Antonio Cantono illatis:cũm autem refe rente processum D. Vicario Iustitiæ cognitum fuisset delictum huiusmodi factum fuisse post aduentum Illust.D.Ducis Snessæ Regii Gubernatoris, & antequã cridæ primam euaginationem prohibentes nomine Excell.suæ publicatæ fuissent:
Senatus censuit, eos causa primæ euaginationis molestari non debere.
Signat.Anibal Cruceius, & sigillat.&c.

QVOD EXECVTORES SERuent constitutiones etiam in executionibus, quæ pro Fisco fiunt.

M. D. LXVIII. die vii. Aprilis.

FActa relatione in Excell. Senatu per Auditorem dominorum Collateralium de Io.Maria Cisarolo, & Ludouico de Passeris beruariis loci Mortarii,cõtra quos quærelam porrexerat Io. Dominicus de Curte causa bestiarum,seu pignorum conductoiũ à loco Castri nouetti lumellinæ ad prædictum oppidum Mortarii contra formam ordinum, & occasione aliorum contentorum in quærela; & consideratis omnibus in eo processu contentis:
Censuit Senatus,dictos baruerios liberandos esse:uerũm quòd in posterum caueatur per proclamata,te participata cum Mag. Magistratu Ordinario, ut etiam pro debitis Cameræ seruẽtur per Executores omnia contenta circa executiones in nouis constitutionibus. Signat.G.Rocca.

ORDO DE CAPTIVIS IN-
consulto Senatu non dimittendis.

M. D. LIIII. die 22.Nouembris.

INnotuit Senatui multos à Baricello huius urbis p noctem capi,& in carcerem detrudi,siue quòd proclamationibus contrauenerint , siue ex aliis causis deliquerint ; deinde illos nulla Senatui data notitia relaxari. & cùm id inconueniens sit,neq; tollerandum uideatur;

Mandat Senatus ipsi Baricello , ac commentariensi Mag.D.Capitanei Iustitiæ sub pœna per eundem Senatum arbitranda,ne quempiam ex causa criminali detentum, pro qua aliqua pœna corporalis ueniat infligenda,de cætero relaxent eo ordine inconsulto. Signat.G.Rocha,& sigillat.&c

ORDO QVOD ADVOCATI
in dicendis coram Senatu causis modestia utantur.

M. D. LVII. die xvi.Nouembris.

SEnatus bonis rationibus adductus hoc publico edicto,quod uim legis habere decernit , omnibus & singulis aduocatis , qui ad eius tribunal causas orant, mandat ut in eis dicendis modestè loquantur,tam de Aduocatis aduersariis,quàm eorum clientibus:nec aduocatos aliquo modo uerbis lacessant,clientes uerò, nisi quatenus necessitas causæ ita exigat:sub pœna suspensionis trimestris ab officio aduocationis,& aureorum insuper quinquaginta Regio Fisco adiudicandorum.

Signat. Franc.Petranigra.

ORDO DE ALIMENTIS DANdis carceratis ob debita in mala mansione.

M. D. LIIII. die 12. Aprilis.

AVdito in Senatu Cæsareo Mediolani Mag. Iurisconsulto D. Io. Baptista Raynoldo Cæs. Senatore, cui in his feriis Pascalibus onus datũ fuerat uisitandi iuxta morem & laudabile institutum carceratos in mala mansione, referente priuilegia concessa per Illust. retroactos Principes & Duces Mediolani illis impotentibus, & inhabilibus, quos contingit carcerari ad instan. datiariorum & gabellariorum Mediolani in mala mansione: uirtute quorum priuilegiorũ tenentur dare singulo quoq; die carceratis Imperiales duodecim pro alimentis, qui inhabiles & impotentes sunt ad soluendum debitum, quod contingit cum eis contrahi, ubi ẽ carcere nolint eos relaxari, sed obstinatẽ faragunt ut in carcere marcescant: uisisq; ordinibus, quibus augentur dicti duodecim imperiales usq; ad solidos tres imper. ob temporũ qualitatem: uiso quoq; præcepto transmisso per dictum Mag. D. Raynoldum ex ordine Senatus Datiariis douanæ, qui detineri fecerunt Petrum de Bassis pauperem & inhabilem, & petentem in exequutione præmissorũ ordinum uel relaxari, uel alimentari, auditoq; uno ex aduocatis generalibus Fisci Mediolani exponente, & attestante etiam de iis factum fuisse uerbum in Magistratu: & omnibus consideratis; Senatus censuit, & declarauit, prædictos datiarios, & gabellarios, & qui per tempora erunt, pariter comprehensos esse in ordinibus, & teneri ad dicta alimenta carceratorũ. Signat. B. Patellanus.

Alter ordo

ALTER ORDO DE EODEM.

POrrecta nobis fuit nomine Dionisii Cozii detenti supplicatio in hanc formam, uidelicet.

Tenor.

Qua lecta, & diligenter considerata in Senatu nostro, ordinatum fuit, quod & nos uolumus, & pariter per has nostras ordinamus, & declaramus, ꝙ ubi creditores, qui condemnantur ad soluendũ soldos tres singulo die pro alimentis debitorum suorum in carceribus detentorum, cessauerint in solutione per tres dies continuos memoratorum soldorum trium, non possint ulterius moram purgare, sed detenti ipsi è carcere liberentur & dimittantur. In quorum &c. Dat. Mediolani ultimo Aprilis. 1555.

Signat. Filippus, & Arrigonus.

QVOD FEVDATARII OBTINEANT licentiam à Senatu publicandi proclamata Principis.

M. D. LV. die xii. Martii, Mediolani.

POstquàm Ser. Angliæ &c. Rex, & Mediolani Dux, Felicibus auspiciis possessionem huius Dominii Mediolani adeptus est, Illust. D. Gubernatores pro quiete subditorũ publicari mandarunt proclamata pœnalia. & quia D. Feudatarii prætendunt illa etiam effectum sortiri debere in eorum Iurisdictionibus, ita, ut pœnæ peccuniariæ à subditis suis exigendæ eorum Fiscis applicari debeant; super huiusmodi re facto uerbo in Senatu pro habenda declaratione quid seruandum sit;

Is ordo declarauit, dicta proclamata ad loca infeudata

data non extendi. q; si dicti feudatarii in locis suis ea publicari uoluerint, pro obtinenda licentia ad Senatum priùs recurrant, qui superinde opportunè prouidebit. mandat quoq; pñtem declaratioẽn affigi in Cancellaria ipsius Senatus, ut omnibus innotescat. Signat. Panizonus, & sigillat. &c.

DECLARATIO PERTINENS ad materiam Decreti gratiosi.

Mediolani decimo Maii. M. D. LIIII.

Iudic⁹ maleficiorum Papiæ.

NOn est hæsitandum, quin pœnæ pecuniariæ ob blasphemias irrogatæ per generalem criminum abolitionem sint condonatæ. Non etiam est hæsitandum, quin remissio sit necessaria iis, qui ob auxilium homicidio in rixa commisso præstitum pecuniaria pœna sint mulctati. atq; ita seruabitis. Signat. Arrigonus. Subscript. Franc. Petranigra.

LAVS DEO.

Mediolani, Apud Valerium de Meda, M. D. LXXV. Die 12. Martii.